# DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA, CONTINENS QUAESTIONES UTILIORES &...

Sigismund Finckelthaus, Sigismund Friedrich Sultzberger, Valenti Gonzaga

# Quæſtio I.

Libelli famoſi (*a*) nomine & appellatione quid denotetur & comprehendatur? (*b*)

(*a*) Materia famoſi libelli in Juris quidem diſpoſitione eſt articulus tùm illuſtris, tùm difficilis, tùm jucundus: In facti verò contingentiâ Libellus hic, eſt quovis ferro nocentior & aſpide quavis formidoloſior. *Damhouder. in prax. rer. criminal. cap. 140. num. 3.* Eſt crimen graviſsimum, *Heig. part. 2. quæſt. 31. num. 1.* deteſtabile & damnatione digniſſimum, *Farinac. tract. crimin. part. 2. quæſt. 105. num. 431. 440.* quo plerunque innocentiſſimi quique crudeliùs quàm ullo gladio læduntur. *Harppr. ad. §. 1. num. 165. edit. noviſſ. Inſtit. de Injur.* Res peſsimi exempli & ſeveriſſimè vindicanda. *Fachin. 9. contr. 9. in fin.* Imò indigniſſimæ injuriæ ſpecies, eò, quòd per eam nota ad poſteros, *ut vir quidam doctus loquitur,* transmittatur.

Libelli nomen acceptum videtur à libello accuſatorio, *arg. l. libellorum 3. ff. de accuſation.* Ad ejus enim exemplum crimen ut plurimùm magnum & accuſatione dignum continet, ac ſine judice & judicio aliquem quaſi publicè accuſat.

Famosus dicitur libellus, non quòd verè inurat infamiam, sed quod injurians, quantum in se est, hoc agat. Verè enim alterius opinionem non lædit. *l. un. in fin. C. de famos. libell.* siquidem ex hâc diffamatione non statim nascitur criminis alicujus demonstratio, quæ omninò requiritur, *l. qui accusare. §. ibi. alij propter delictũ proprium, ut infames. ff. de accusation.* verùm ex libidine obtrectandi diabolicâ potiùs proficiscitur.

Germanicè vocatur **ein SchmähSchrifft / oder SchmachBrieff / Peinl. GerichtsOrdnung** *Carol. V. artic. 110.* Vulgo Pasquill.

Pasquilli nomen, referentibus Historicis, inde originem traxit: Fuit olim Romæ Sartor quidam, Pasquillus nominatus, qui ob vitia quædam non tantũ Cardinales, sed & ipsum Papam mirâ libertate & impunitate vellicare solitus fuit. Eo mortuo, cùm prope tabernam ejus statua marmorea gladiatorio habitu effossa & ibidem erecta esset, joco populari Pasquillus appellari cœpit, quòd illic ob dicacitatem notissimus magister Pasquillus habitasset. Et quemadmodum ille vivus hominum vitia insectabatur, ita nunc post ejus mortem statua epigrammatophori munus subiit: Eo enim loci, tanquàm in mediâ ferè urbe, omnis generis scripta maledica noctu affigebantur, ut faciliùs à transeuntibus legerentur, quæ inde Pasquilli nomen sibi vendicabant.

Mirum autem, tot tantisque elapsis annis Romæ in publicum & privatorum præjudicium, hanc relictam esse statuam, neque unquam quenquam pietatis & religionis Christianæ Zelo inde eam avertere ausum fuisse, unde affigendi ejusmodi libellos ampliùs adimeretur oc-

tur occasio. Imò ferunt, cùm quidam princeps primarius eam in Tyberim deijciendam esse statuisset, statim ab uno ex eis familiaribus urbanè responsum, caveret, ut eam tolli imperaret, fore enim ut gravius sub aqua quàm super terram in principes inveheretur: Et sic inibi, uti & hodiè cernitur, ab eo usque tempore persistit.

Libellum famosum varij variè definiverunt. Nobis ipsius Ulpiani descriptio potest esse sufficiens: Ait enim *in L. Lex Cornelia. 5. §. si quis librum. 9. ff. de injur.* Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolóve malo fecerit, quò quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine, uti de ea re agere liceret. Breviùs ita: Est liber, quo alteri ad infamiam alicujus, suppresso authoris nomine, aliquid dolosè obijcitur.

Differentia igitur inter injuriam scriptam & famosum libellum hinc satis apparet: Injuria enim scripta est, si quis alicui in privatis literis, vel in libello Judici & in Judicio porrecto falsa quædam affingit, nomenque suum apponit & subscribit. Famosus verò libellus est, si quis, noctuarum & vespertilionum instar, lucem fugit, aliquid ad infamiam alicujus clàm spargit, nec nomen suum asscribit. *L. un. C. h. t.* ubi notanda est oppositio: *ibi. per famosum libellum persequi. Et ibi. nomen suum profiteri. Constit. Carol. crim. art. 110. ibi.* Die er außbreitet/ vnd sich mit seinem rechten Tauff- vnd Zunamen nicht vnterschreibet. Reichsabsch. *Anno 1577. tit. 35. §.*



vnd

vnd setzen / *ibi in fine*: biß der rechte author befunden. *Videatur infrà quæst. 4.*

(*b*) Propriè libellus famosus dicitur, per scripturam, §. 1. *ibi. libellum. J. de Injur.* sive ille scriptus sit manu, *L. Lex Cornelia. 5. §. si quis librum 9. ibi. scripserit. ff. de injur. L. un. ibi. easdem chartulas. C. h. t.* sive excusus sit typis. Reichsabsch. zu Augspurg / *Anno 1530.* §. vnd nach dem durch die vnordentliche Trückerey: *ibi*: vnd sonderlich Schmähschrifft. Reichsabsch. *Anno 1548.* §. von Schmähschrifften gemählten vnd gemächten / *versic.* ferner setzen / *ibi.* geschrieben / in Druck bracht. *Item ibi.* wo solche vnd dergleichen Bücher/Schrifften.

Sed & quasi scripto per analogiam quandam fit famosus libellus, (1.) per picturam famosam, ut si quis ad infamiam alterius membra obscœna, vel aliud quid in ejus januâ vel portâ pingat, *d. l. 5. §. eadem pœna. 10. ibi. aliudve quid sine scripturâ. ff. de Injur. d. §.* in Reichs absch. *Anno 1530. ibi.* Gemählte. *Et d.* §. von Schmähschrifften/*versic.* ferner. *ibi.* Gemählte/Abgüß. *Et* Reichsabsch. *anno 1577. tit. 35.* §. vnd setzen / *ibi.* gemahlt. *Constit. Elect. 44. in pr. ibi.* auff die Schandgemälte/*part. 4.* (2.) per sculptile & fusorium opus. *d.* Reichsabsch. *Anno 77. tit. 35.* §. vnnd setzen / *ibi.* Abgüß / Geschnitzt. *Et d.* Reichsabsch. *anno 1548. tit.* von Schmähschrifften §. ferner, *vers.* deßgleichen auch nichts schmählichs / Paßquillisch / *ibi.* gemahlt / geschnitzt / gegossen oder gemacht/ *d. Constit. Elector. 44. ibi.* Gemählte vnd Gemächte/*par. 4.* (3.) per carmen famosum & epigramma. *l. ob carmen. 21. ff. de testibus. l. is cui lege. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. Lex Cornelia. 5. §. eâdem pœnâ. 10. ff. de injur. §. 1.*

*ibi. aut*

*ibi. aut carmen. J. d. t.* (4.) per historiam famosam, *d. §. 1. ibi. aut historiam. J. de injuriis.*

# Quæstio II.

Quis sit REUS hujus criminis famosi libelli?

Obligatur potissimùm ex famoso libello.

(1.) Author ipse, qui vel composuit, *l. Lex Cornelia. 5. §. si quis librum. 9. ibi. composuerit. ff. de injuriis*, vel qui edidit, typis scilicet excusum, vel ipse, vel per alium. *d. §. 9. ibi. ediderit*, sive sine nomine, *d. §. 9. ibi. vel sine nomine*, sive alteriùs nomine, Ratio est, quia is magis delinquere videtur, cum & aliū de hujusmodi crimine, ut se excuset, falsò inculpare intendit. *d. §. 9. ibi. etiamsi alterius nomine.* Atque huc referri possunt modi analogici ex quasi scripto, suprà relati *Quæst. 1. lit. b. vers. sed & quasi scripto.*

Obligatur (2.) Scriptor, qui ab alio libellum compositum excepit & descripsit, *d. l. 5. §. 9. ibi. scripserit. ff. de injur.* modò dolosè diffamandi causâ scripserit, *d. §. 9. ibi. dolóve malo.*

(3.) Typographus scienter excudens. **Reichsabsch.** *Anno 1548.* **§. ferner** / *ibi.* **in Truck bracht.** *Et* **§. Wo aber einige Obrigkeit** / *ibi.* **auch den Tichter/ Trucker.**

(4.) Mandans & procurans, ut scribatur, componatur, vel edatur famosus libellus, *d. l. 5. §. 9. ibi. dolóve malo fecerit, quò quid eorum fieret.*

(5.) Cantans in foro ab alio compositam cantilenam

tilenam famosam. *l. ob carmen famosum, 21. ff. de testib. l. is cui lege. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Reichsabsch. zu Franckfurth / *Anno 1577. tit. 35. ibi. in rubr.* Schmählichen Gedichten.

(6.) Vendens, emens, aut vendendum emendumvè hunc libellum curans. *d. l. 5. §. eâdem pœnâ, 10. ibi. qui emendum.* Reichs abschied zu Erfurt / *Anno 1567.* §. demnach ferner. *Et* §. setzen / ordnen / *ibi.* keines weges feil gehabt / gekaufft / vmbgetragen / noch außgebreitet werden.

Huc pertinent Bibliopolæ scienter vendentes libros famosos. Reichsabsch. *Anno 1548.* §. Wo aber einige Obrigkeit / *ibi.* Trucker vnd Buchführer. Reichs absch. zu Franckfurt / *Anno 1577. tit. 35.*

(7.) Ad valvas affixum libellum, vel in plateâ repertũ non statim corrumpens, sive igni consumens, sed vim ejus vel legendo, vel sententiam ejus exponendo aliis manifestans & ulteriùs propalans. *l. un. C. h. t.* Quod procedit, etiamsi uni tantùm inventum, famosũ libellum ostenderit, ac[illegible]legendum exhibuerit, *d. l. un. ibi. aut nulli confiteatur inventum. C. h. t.* Ratio est quia dictum unius facilè sequi solet multitudo. *cap. cum in juventute. 12. extr. de purgat. Canon.* Dissentire videtur *Bocerus tract. de famos. libell. cap. 3. num. 18. ibi. Eatenùs tamen huic subscribo sententiæ.*

(8.) Componens libellum, quem non ipsemet publicet, nec alij publicandum mandet, sed alius casu inventum manifestàrit. Ratio est, (1.) quia operam rei illicitæ dedit, ideò illi imputatur omne id malum, quod ex ea re sequitur, maximè si eventus ex opere, quod fecit, per se vel ut plurimùm sequi consuevit,

ut in

ut in nostro casu, *arg. l. quoniam multa. 6. ibi. qui vim facere tentaverit, & alterutri parti causam malorum præbuerit. C. ad L. Jul. de vi. publ. l. 1. §. 2. ibi. propter tumultum & propter causam. ff. de incend. ruin. naufrag.* (2.) Quia ansam & causam publicationis & infamandi præstitit, quare & simul infamâsse censetur, *arg. l. nihil interest. 15. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Præsumitur enim quòd ipsius voluntate libellus sit publicatus, siquidem qui occasionem dat, ipsum damnum fecisse videtur. *l. qui occidit. 30. §. in hâc. 3. ff. ad L. Aquil.*

# Quæstio III.

## Num delictum famosi libelli sit publicum an privatum? Privatum.

Ratio (1.) quia adjungitur delictis privatis in Institutionibus, §. *1. vers. vel si quis ad infamiam. Instit. de Injur.* In Digestis conjungitur Rubrica de injuriis & famosis libellis, & utriusq; tractatio, *in l. Lex Cornelia. 5. ff. de injur.* Et in Codice statim titulum de Injuriis subsequitur titulus de famosis libellis. (2.) quia crimen publicum illud est, quod ex lege aliquâ ejusmodi est effectum & sancitum, ut de eo specialiter publica sit accusandi formula, *l. 1. ff. de publ. judic. l. 3. §. fin. ff. de prævaricat. l. non distinguemus. 32. §. Julianus. 6. ff. de arbitr. l. Manichæos. 4. §. 1. ibi. volumus esse publicum crimen. C. de hæretic.* Sed nulla est certa Lex, quæ delictum famosi libelli publicum esse expresse jubeat, aut de eo, ut sit publicum judicium specialiter constituat. E. *Dissent. Bocer. d. tract. cap. 5. num. 36.*

# Quæstio IV.

An famosus libellus sit, si quis nomen suum in eo exprimat aut subscribat? Neg.

Ratio (1.) quia Ulpian. *in l. Lex Cornelia. 5. §. si quis 9. ff. de injur.* ubi libellum famosum describit, inter alia adijcit, quòd non solùm teneatur is, qui sine nomine eundem ediderit, sed & qui nomen quidem addidit, at fictum & alienum. De proprio nomine nihil dicit, eo ipso præsupponens, libellum famosum illum solum haberi, qui authoris nomine careat. (2.) quia in *l. un. C. h. t.* opponuntur, per famosum libellum crimen persequi: Et: nomen suum profiteri oreq; proprio crimen edicere. Hæc igitur oppositio luculenter probat, famosum esse libellũ, quando author eum clàm spargit & nomen suum celat. (3.) quia in *Const. Crim. Carol. art. 110.* non obscurè famosus libellus describitur, si quis suppresso nomine, crimen alicui obijciat, illudq; clàm spargat, *ibi.* So jemand durch Schmähbrieff / die er außbreitet / vnd sich nach Ordnung der Recht mit seinen rechten Tauff- vnd Zunamen nicht vnterschreibet / Laster vnd Vbel zumisset. (4.) Id ipsum innuere videtur & *Constit. Elector. 44. par. 4. § fin. ibi.* Wann einer jemands durch Schrifften diffamiren, vnd seinen Namen nicht bekennen würde. Dissent. *Heig. part. 2. quæst. 31. à num. 22. Bocer. d. tract. cap. 2. à num. 6. Harppr. ad §. 1. num. 154. J. de Injur. Berlich. p. 5. concl. 67. à num. 36. Hunn. ad Treutler. vol. poster. disp. 30. th. 5. quæst. 40. & alij.*

Quæ-

# Quæſtio V.

## An & nomen diffamati in famoſo libello neceſſariò ſit inſerendum?

Neg. modò ex circumſtantiis diffamatus innoteſcere poſſit.

(1) per text. *in l. quod SCtum. 6. ibi. cum nomen adjectum non eſt ejus, in quem factum eſt. ff. de Injur.* (2.) Ratio eſt, quia non adeò quæri oportet, cū quo diffamans loquatur, ſed in quem voluntatis intentionem per ſceleratam mentionem dirigat, *arg. l. cum pater. 77. §. donationis. 26. in fin. ibi. non enim quæri oportet. ff. de legat. 2.* (3.) quia uti aliàs nihil refert, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, aň vocabulis quibusdam demonſtretur, *arg. l. certum. 6. ff. de reb. credit.* Ita & hîc ſufficit, ſi judex vel per inquiſitionem inveſtiget, vel infamantem compellat, ad exprimendum diffamati nomen & perſonam, *arg. l. congruit. 13. ff. de officio præſid.*

# Quæſtio VI.

## An neceſſarium quoque ſit, ut in famoſo libello certum & ſpeciale delictum famoſum objiciatur? Neg.

Ratio eſt, quia Dd. unanimiter concludunt, *in l. Lex corneliā. 5. §. ſi quis libr. 9. ff. de injur.* de famoſo libello agi. Ibi autem ſaltem deſideratur, ut in famoſo libello aliquid ſcriptum ſit ad infamiam alicujus, non autem

requiritur, ut specialiter ipsa infamia certo quodam crimine exprimatur. E. perinde est, certum aliquod delictum famosum exprimatur, vel generaliter infamia alicui aspergatur. In praxi tamen ita servari scribit, *Heig. part. 2. quæst. 31. num. 16. 17.* ut si delicta non notabilia in pasquillo contineantur, reus extraordinariâ saltem injuriarum pœnâ, & quandoq; relegatione puniatur, *arg. l. fin. ff. de Injuriis.*

# Quæstio VII.

## Sitne famosus libellus, si objiciatur alicui in scripto, quòd sit Spurius? Neg.

Ratio est, quia famosus libellus pertinet ad alicujus infamiam, *l. Lex Cornelia. 5. § si quis. 9. ff. de injur.* Spurius autem re & vita honestus, *l. generaliter. 3 §. 2. ff. de decurion.* neq; juris neq; facti infamiâ laborat. Non juris, hæc enim est, quæ hominem ex legis præcepto nominatim infamem reddit, *l. honori. 2. ibi. licet enim verbis edicti non habeantur infames. ff. de obseq. parent. & patron. præstand. l. cognitionum. 5. §. 2. ibi. quæ edicto perpetuo infamia. ff. de extraord. cognition. t. t. ff. de his qui notantur infam. & t. t. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Quod de spurio nuspiam legitur. Non etiam facti, hæc enim ex re ipsâ, seu proprio facto & opinione hominum provenit, *d. l. 2. ibi. re tamen ipsâ & opinione hominum. l. qui accusare. 8. ibi. alij propter delictum proprium, ut infames. ff. de accusat. d. l. cognitionum. 5. §. 1. ibi. ex delicto nostro. ff. de extraord. cognit. l. interlocutio. 19. ibi. infamem eum fecisse non videtur.*

*C. ex*

*C. ex quibus caus. infam. irrogat.* At Spurius alieno tantùm laborat vitio, nullo proprio, *l. Spurij. 6. ibi. qui nihil admisit. ff. de decurion. l. legem. 7. ibi. qui alieno laborant vitio. C. de natural. liber.* non enim est culpa ejus qui gignitur, sed ejus qui generat, *arg. Canon. nasci. 5. dist. 56.* Ubi igitur nulla culpa, ibi nulla pœna. *l. sancimus. 22. C. de pœnis.* nec enim quispiam alterius successor constituitur, *l. crimen. 26. ff. de pœn.* Ut verò levis notæ macula, quæ ex opinione tantum hominum oritur, non est infamia, hæc enim duo distinctè invicem se cernuntur, *l. fratres 27 ibi. infamia, vel turpitudinis vel levis nota macula. C. de inoffic. testam.* Ita negari nequit, spurios ob illegitimos natales hâc levis notæ maculâ notatos esse, siquidem eorum pudor potius oneratur, quàm quòd ignominia ijs videatur irrogari. *arg. l. ob hac. 20. ff. de his qui not. infam.* Eorum enim existimatio apud bonos & graves viros onerari dicitur, *arg. l. ea qua. 13. l. verbum. 17. C. ex quibus. causis infam. irrog.* Unde & Spurij communi quodam gentium ac Rerumpublicarum jure notantur, ex quo concubitus matrimoniales tantùm probantur, reliqui improbantur & damnantur.

## Quæstio VIII.

An requiratur, ut famosus libellus primùm in honestissimorum & gravissimorū virorum manus & notitiam perveniat, an verò sufficiat, si aliorum privatorum & plebeiorum conspectui sit expositus?

Posterius placet.

 (1.) per

(1.) Per text. in *l. un. ibi. sive domi, vel quocunq; loco. Et ibi. nulli confiteatur, C. h. t.* (2.) Ratio est, quia inter omnes textus juris, de famoso libello tractantes, ne unicus quidem reperitur, qui hoc requisitum efflagitet. F. quemadmodum Philosopho turpe est, sine ratione Philosophicâ aliquid asserere. *Cic. 1. de finib.* Ita & Jure Consulto turpe est, sine lege aut ratione juris loqui. *l. scire. 13. §. si enim quis propter. 7. ibi. cujus fidem tametsi sufficit firmare. ff. de excusat. tutor. Nov. 18. cap. 5.*

# Quæstio IX.

## Quænam sit pœna famosi libelli?

Distinguimus: Aut (1.) tale crimen innocenti objicitur, quod mortem meretur, & tùm eandem quoque diffamans pœnam sustinebit. Et eò (1.) pertinet, *l. un. C. h. t.* ubi diffamator dicitur capitali pœnâ, id est, mortis teneri. F. & crimen capitale esse oportet: quia aliàs absurdum & iniquum videtur, ut quis indistinctè etiam propter leve crimen aliquod in famoso libello objectum, capite puniretur, cùm pœna non debeat esse gravior, quàm ejus causa. *l. sancimus. 22. C. de pœn.* (2.) comprobat hanc opinionem expreßè, *Constit. Crim. Carol. V. art. 110. ibi.* an seinem Leben oder Ehren. *Et ibi.* mit der Poen / in welche er den unschüldigen geschmächten. Est & (3.) ratio, quia diffamator hic per libellum famosum est calumniator. Calumniator autem similitudine supplicij punitur, *l. non prius. 7. in fin. ibi. aut supplicium si fefellerit l. fin. C. de calumniator. l. fin. ibi cum Calumniantes. C. de accusatio.* Si itaq; delictum est capitale, & ultimo supplicio dignum, tùm diffamator etiam ultimo

timo supplicio afficiendus est. Aliam reddit rationem, *Conrad. Rittershus. in lib. different. jur. civ. & canon. 6. c. 4.* Ubi ita ait: Hujus tàm gravis pœnæ sanciendæ, hæc videtur fuisse ratio: frequentia & crebritas, quæ fuit Romæ, hujus delicti: Solent enim pœnæ augeri & exasperari, quoties nimium grassantur crimina, ut opus sit exemplo ad deterrendos à maleficiis homines, *l. aut facta. 16. §. fin. ff. de pœn.* Aliam & quidem duplicem rationem ex *d. l. un.* eruere tentat *Bocer. cap. 5. num. 13.* Dissentit planè *Hunn. ad Treutl. volum. poster. disp. 30. thes. fin. quæst. 47. ibi, sunt quidam qui statuunt.* Ubi cum *Harppr. ad §. 1. num. 160. seqq. J. de Injuriis,* & quibusdam aliis acriter disputat & defendit, pœnam capitalem *in d. l. un.* non de morte naturali, sed de mitiori & morte civili qua alicui civitas vel libertas tollatur, intelligendam esse.

Jure Saxonico idem in hoc casu primo dicendum videtur, ut si diffamator crimen objiciat capitale, eandem etiam sustinere debeat pœnam: Serenissimus enim Elector Saxoniæ *in Constit. 44. in princ. part. 4.* nominatim ad jus commune & constitutiones criminales Imperii, puta ad *d. l. un. C. h. t. & d. artic. 110.* se refert: *Ibi.* Ist in gemeinen Rechten / vnd in Peinlicher Ordnung versehen. *Et ibi.* Bey diesen allgemeinen Rechten / Reichs Constitutionen vnd Sanctionen lassen wir es bleiben.

Dissentit *Colerus part. 1. decis. 154. num. 3.* statuens, quod hodiè divulgatores famosorum libellorum arbitrariè, vel carcere, vel relegatione, vel etiam fustigatione pro modo admissi delicti puniendi sint. Sed constat, olim Scabinos Lipsienses & Wittebergenses, si de capitali delicto agebatur, pœnam talionis & mortis *in d. l.*

observasse, *Consultat. Saxon. tom. 1. part. 4. quæst. 11. num.* ... *& tom. 2. part. 4. quæst. 41.* Quod & Elector Saxoniæ, ... dictum est, *in d. constit. 44. in princ.* confirmavit. Ex- ... udiri itaque potest, *Colerus. d. l.* de casu, quo crimen ... objectum pœnam mortis non meretur.

De consuetudine extra Electoratum variant etiam Interpretes: Quidam enim existimant, hodiè nunquam hanc pœnam mortis, sed extraordinariam, juxta facti & personæ qualitatem diffamatori imponi. Ita enim hoc studiosè observandum esse monet *Harppr. ad §. 1. num. 110. J. de Injur. Jacob. Schultes ad Coler. decis. 154. num. 14. pag. 1.* Et refert *Clarus in pract. §. fin. quæst. 68. num. 2.* se nunquam vidisse pro libello famoso aliquem ultimo supplicio affectum, sed semper fuisse impositam pœnam extraordinariam, putà fustigationis, carceris, mulctæ gravioris. *Farinacius* tamen *part. 3. tract. crim. q. 105. n. 427.* hanc doctrinam improbat, monetque hoc in casu ab ordinariâ Juris pœnâ nullo modò esse recedendum.

Quòd si (2.) delictum non sit capitale, tùm iterum pœna talionis locum habet, eâdemque animadversione diffamator coërcetur, quâ unumquodque delictum in libello objectum venit puniendum. Ratio eadem hîc obtinet, ut in casu primo, quia hæc vetus est calumniæ pœna, ut calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij, *d. l. 7. d. l. fin. C. de calumniator. l. fin. C. de accusat. d. Constit. crim. Carol. art. 110. ibi,* Mit der Poen/ in welche er den unschüldigen/ geschmächten.

Porrò Jure Canonico auctor famosi libelli flagellatur & interdum excommunicatur, & anathematizatur. *Canon. 1. 2. 3. caus. 5. quæst. 1. Damhoud. in prax. crim. cap. 125. num. 1.* ubi diffamationem per libellum famosum

sum vocat furtum spirituale. Sed ridiculè, uti putat, *Rittershus. ad §. sed & lex. 8. Inst. de Injuriis.*

## Quaestio X.

### Si crimen in famoso libello objectum sit verum, & ejus revelatio Reipublicae expediat, ac probari possit, an nihilominus puniendus erit auctor?

Punitur, sed poena hodiè mitigatur.

Olim Jure Civili hunc diffamatorem, & in hoc casu poenâ ordinariâ punitum fuisse, probabile est; Ratio est, quia *in l. un. C. h. t.* non distinguitur, quale crimen, verumné an falsum, eo contineatur, num Reipublicae intersit illud manifestari, nec ne. Imò verum crimen eo ipso spargi prohibetur, dum quis nomen suum profiteri, & quae per famosum libellum persequenda putaverit, ore proprio in judicio edicere jubetur, quod in crimine non vero non potest verificari.

Hodiè verò si libellus famosus contineat verum crimen, illudque à diffamatore probetur, hoc casu non poenâ ordinariâ, sed mitiùs extraordinariâ arbitrio Judicis puniendus est. (1.) per textum *in Constit. Crim. Carol. artic. 110. in fine, ibi.* Und ob sich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemessenen that in der Warheit

his verbis: Da er gleich solches köndte außführen/ daß derselbe gleichwol auch Willkührlich / entweder mit Staupenschlägen / Verweisung oder Gefengnüß / nach gelegenheit der Verbrechung gestraffet werden soll. Estq; (3.) ratio, cur non minus puniatur is, qui verùm per libellum famosum, quàm qui falsum crimen objecit, quia obtrectatorum & malevolorum hominum sive vera sive falsa dicentium petulantia coërcenda est, ne sub prætextu veritatis demonstrandæ quidam incitentur, ut per clancularias suggestiones vel extrajudiciales insectationes ad libidinem effusas, bonorum virorum famam, non sine summâ Reipublicæ perturbatione lancinare publicè audeant. *arg. l. justissimos. 3. vers. nam si vera. C. de offic. Rector. provinc.* Et quamvis (4.) Reipublicæ utile sit, ut crimen nocentis manifestetur, judicialiter tamen ad demonstrationem ejus se quis offerre debet, non per modum famosi libelli: Sic enim hæc pravissima revelantis intentio & ejus injuriandi animus atrocissimus rem efficit iniquam. *arg. Canon. cùm minister. 14. Canon. relegentis. 45. caus. 23. q. 5. l. si non convicij. 5. C. de injuriis.*

Aliter sentit & distinguit, *Bocerus. cap. 3. n. 12. & 13.*

## Quæstio XI.

Si quis famosum libellum reperit & legit; nec corrupit, sed tamen illum non publicavit, an pœnâ aliquâ teneatur? Non.

Non ordinariâ: Ratio est, quia in *l. un. C. h. t.* duo copulativè requiruntur: Et ut inventor libellum repererit, & ut publicaverit. Cessante itaq; publicatione, & pœna cessare debet. *arg. cap. cum cessante. 60. extra de appellat.*

Non

Non extraordinariâ: Ratio est, quia *d. l. un.* non præcisè mandat, ut inventor libelli famosi eum corrumpat, sed disjunctivè præscribit, ut aut corrumpat, aut nulli confiteatur inventum. Etsi igitur inventor libellum famosum non corrumpat, si tamen eundem nulli confiteatur, id est, nemini revelet aut manifestet, hâc reticentiâ suâ legis præscripto obtemperat, adeoq; nullam pœnam meretur.

# Quæstio XII.

## Si Titius libellum famosum repertum legit, posteaque Cajo eundem legendum exhibuit, & Cajus legere incepit, sed Titius ante absolutam lectionem pœnitentiâ ductus, è manibus rursum Cajo excussit: An Titius ab ordinariâ pœnâ famosi libelli liberari debeat?

Affirm. Si Cajus & diffamati nomen & criminis objecti conditionẽ nondum cognoverit. (*a*) Quod si factum est, nullo modo liberabitur, etiamsi in continenti pœnitentiâ permotus, divulgationem revocare velit. (*b*)

(*a*) Ratio (1.) est, quia re adhuc integrâ justæ pœnitudinis humanitas nemini est ammovenda. *l. si quis*

alij intellexerint. (3.) per *l. un. C. h. t. ibi. aut nulli confiteatur inventum.*

(*b*) Ratio (1.) est, quia nemo in delictis jam commissis, & sic re non ampliùs integrâ, ubi læsio alicui jam contigit, pœnitentiâ suâ nocens esse desinit, *l. quid sit fugitivus. 17. §. 1. in fin. ff. de ædil. edicto. l. qui eâ mente. 65. ff. de furtis. l. non prodest. 5. ff. vi bonor. raptor. l. 1. §. si rem depositam. 25. ibi. quia semel dolo fecisti. ff. depositi.* (2.) quia pœnitentia inter modos revocandæ injuriæ non connumeratur: Ideò nec injuria semel illata, ex quâ injuriato statim obligatio & actio competit, tolli ampliùs pœnitentiâ potest.

# Quæstio XIII.

## An auctores famosi libelli, quo non privatos homines, sed vel ipsum Imperatorē, vel Electores, &c. diffamârunt, graviori pœnâ, puta læsæ Majestatis pœnâ, coercendi sint? Neg.

Ratio (1.) est, quia crimen læsæ Majestatis ex simplici maledicto non contrahitur, sed potius hodiè obtinuit, hoc crimen facto ipso committi. *l. famosi. 7. §. crimen. 4. in fin. ff. ad L. Jul. majestat.*

Diss. *Bot. tract. de crim. læsa Majest. c. 2. n. 4. & c. 3. n. 5.*

(2.) Quia *in recessu Imperij an. 1567.* zu Erfurt/ fit mentio pasquillorum in illustres personas sparsorum, nullum tamen ibi verbum reperitur de pœnâ criminis læsæ Majestatis, sed potius hoc expressè sancitum est, pœnam, quæ à majoribus in eos statuta est, perpetuò servari debere:

bere: *d. Recessu anno 67.* §. Demnach ferner/ *ibi.* nicht allein die jenige Personen/ sondern auch Churfürsten/Fürsten und Stände/ ja unsere Keyserliche Person selbst angetastet. *Et ibi.* zu wolverdienter Straff/ vermög gemeiner beschriebener Recht. *Item ibi.* Alles bey Poen und Straff der obgemeldten gemeinen beschriebenen Rechte/ und des Reiches Ordnungen.

Licet autem pœna Legis Juliæ, quâ Majestatis læsæ Rei coercentur, non adhibeatur, quia tamen gravior censetur injuria ex personæ qualitate, *l. prætor. 7. §. fin. ff. de injur. §. atrox. 9. Inst. ead.* Ideò & qui libello famoso edito illustres personas diffamavit, gravius quoque venit puniendus.

Meminerint itaq; diffamatores, hodiè non omnes principes esse Tiberios, Augustos, Alexandros, qui talia calumniarum morsus, ut illi, sustinere possunt. Ideò tutissimum est, adhærere consilio, *Duri de Pascolo, qui in Aulico politico* suadet, ne malè loquamur de primis Reipublicæ capitibus. Constat enim & olim Dionysium Syracusanum, Antonium Caracallam, maledicos suos graviter punivisse, uti refert *Menoch. arbitr. Judic. quæst. cap. 377. num. 20. & seqq.*

# Quæstio XIV.

An is, qui verus author famosi libelli

Ratio (1.) quia *in l. un. C. h. t.* inventor famosi libelli, qui eum non statim igni tradit, sed vim ejus manifestat; capitali pœnæ nihilominus subjicitur, etiamsi ignarus reperiat. Et sic ibi præsupponitur, inventorem & manifestatorem non fuisse auctorem, sed alium quendã. (2.) quia *in l. Lex Cornel. 5. §. si quis librum. 9. ff. de injur.* is qui tantum edi libellũ curavit, punitur, etiamsi alius eundem composuerit. (3.) Quia ille qui liberè spargit & propalat famosum libellum, dolo non caret, eo ipso enim, quòd libellum famosum manifestat, & ita in actu illicito & legibus interdicto, qualis est publicatio famosi libelli, deprehenditur, in dolo est: Imò plus quàm verus author hoc casu delinquere videtur, delictum enim quod auctor inchoavit, hic perficit & consumat.

Valet igitur & hic illud vulgatum: Wehrman haben hilfft nicht/ uti in actione injuriarum pro injuriâ verbali admonet *Schneidw. ad §. 1. n. 5. J. de injur.* & ita pronũciari refert, Et nos nuper in suprema curia Electorali Lipsiensi in causa, L.H. contra A.B. pronunciatum novimus.

## QUÆSTIO XV.

### An saltem creditori, præsertim ex pacto, permissum sit, debitorem non solventem per famosas scripturas & picturas publicè in locis inhonestis propositas, als an Pranger/ Galgen/ quod olim totâ die, *ut loquitur Colerus* (a) fiebat, traducere? (b) Neg.

(*a*) *Coler. de process. executiv. part. 1. cap. 8. num. 67. Gail de pace publ. lib. 2. cap. 2. num. 6.*

(*b*) Ratio (1.) -t, quia idcircò judiciorum vigor jurisq;

jurisque publici tutela est in medio constituta; nequisquam sibi ipsi permittere valeat ultionē, *l. nullus. 14. C. de Judæis.* (2) quia inter casus permissæ privatæ vindictę, *in l. 1. & 2. C. quand. lic. unicuiq; sine judic.* non reperitur, quod liceat alicui ex pacto inferre injuriam. (3.) quia ita publicè diffamatus facilè cogitabit de ultione qualicunq; aliâ, quæ posset auferre turbationem tranquillitatis publicæ, ac præbere occasionem majoris tumultus faciendi, *arg. l. non est singulis, 176. ff. de R. J.*

## QUÆSTIO XVI.

### An liceat injuriam per famosum libellum illatam, per alium famosum libellum retorquere & repellere? Neg.

Ratio (1.) quia non relatione criminum sed innocentiâ reus se purgare debet, *l. si qui reus. 5. in fin. princ. ff. de publ judic.* (2.) quia contrarius ejusmodi pasquillus non tàm ad propulsandam injuriam, quàm ad vindictā tendit, privata autem vindicta est jure prohibita, *l. scientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Habet enim diffamatus judicium, quo convenire potest eum, quem sibi injuriam fecisse putet. *l. extat. 13. ibi. vis est & tunc, quotiens quis id quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. ff. quod met. caus. l. creditores. 7. ibi. si quas putes te habere petitiones, actionibus experiaris, ff. ad L. Jul. de vi privat.*

(*a*) Si publicâ prius accusatione ad pœnam non est actum, *l. quod Senatusconsultum. 6. ff. de injur.* tùm potest diffamatus privatâ æstimatoriâ, *d. l. 6. ibi, & jure communi. §. pœna 7. vers. sed postea praetores. Instit. de injur.* & recantatoriâ, Kammergerichts Ordnung/ *par. 2. tit. 28. §.* und sonderlich. injuriarum actione experiri.

(*b*) Ratio est, quia actio injuriarum æstimatoria ex famoso libello instituitur ex jure communi injuriarum, *d. l. quod Senatus consultum, 6. ibi. & jure communi injuriarum. ff. de injuriis.* Jus autem commune injuriarum scriptorum descendit ex jure prætorio, *l. item apud. 15. §. generaliter. 27. ff de injur.* ac proinde annali spacio circumscribitur, *text. in princ. vers. eas verò quæ ex propriâ prætoris. J. de perpet. & tempor. action.*

Dissent. *Heig. part. 2. quæst. 31. num. 19, 20. Berlich. part. 5. concl. 69. num. 55. & qui ibidem & sub num. 58. ab eo citantur.*

In praxi sanè aliud obtinuit, hanc nempè actionem esse perpetuam, *Chilian.* König *in process. cap. 59. num. 4. Gail 2. observ. 104. num. 4.* Quam communem opinionem approbavit Serenissimus Elector Saxon. *in Constit. 46. §.* So viel aber die Klagen/ *Et §.* vergleichen ist es auch / *part. 4.*

## Ad Dominum Respondentem.


SUltzbergere SALIS FONS ac MONS juris & æqui,
FAMOSA est laudi fama parata tuæ,
Dum de FAMOSO propugnas jura LIBELLO,
Lipsiaca & famam spargis in urbe tuam.
Sparge, uti cœpisti, Sic FONS SALIS atque salutis
Sultzbergere tuæ, MONSq; Clientis eris.

*Sigismund Finckelthaus. D. Præses.*

*SI super astra vehet niveis bona Fama quadrigis*
*Illum, qui ut cunctis sit bona Fama studet;*
*Quàm Te, quàm rapidis celeberrima Fama quadrigis*
*Usq; vel in campos evehet ELYSIOS;*
*Qui quantum Famam facias cujusq; Libellis,*
*Famæ damnatis* hostibus *Euge, probas.*

T. T.

M. Andreas Corvinus, Profess. Orat.




F I N I S.